









1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.



1691.

1. Ernesti, Joh. Henricus : De non indigna principibus
delectatione ab artibus mechanicis petita.
2. Fellerus, Truchius : Viriortatio : De praelectis Kalendariis
[cui historia oritur et progressus Collegii historici Imp. Sac.
cinche promissa et cinnexa est.]
3. Herkusius, Antonius Guntherus : Juris naturalis ac gentium
summa capta in officiis humanis ad M. T. Cicerois
officiis lib I. Capp. 16. ^{tr}
4. Huebner, Joh. : De articulationibus politicorum.
5. Pflieger, Gottfriedus Michaelis : De vidua usq. dum
ipso subsistat, ea mariti bonis sustentanda.
3 sumpt. 1691. 1743
6. Orthobius, Joh. Fridericus : Exercitium anat. phys. in
integrum $\chi\alpha\delta\eta\pi\alpha\sigma\eta\sigma\omega\varsigma$ negotium examinans. rip
med. Lipsiae 1691.
7. Redel, Conradus Ruders : De obligatione juramenti dolori.
8. Redel, Conradus Ruders : Utrum electio magistratus melior
sit successione?



1691.

8. Riedel, Lorenz Rudolph: *Utrum Scedis magistratus
melius sit successione?*
9. Schacher, Johann Christoph: *Utrum in contrahendo vel
negotians aliquem circa pretium infra dimidium
sive conscientia laedere liceat?*
10. Schun-Dius, Johannes: *De usu carnis humanae
licito.*
11. Schremler Dopperus, Bartholomaeus Leonhardus: *De
conservatione viae publicae. ~~2. Aufl. 1691-1715~~*
12. ^{2. Aufl.} Schremler Dopperus, Bartholomaeus Leonhardus: *De
substitutione in vim arresti. 2. Aufl. 1691-1715.*
13. Tilius, Gottlob Gerhard: *De putativo contractu literali.*

ms

sel

in

1718.

enals.



17

Pub. 72. num. 11. 12
Pr. 2. 48.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
CONSERVATIONE
VIÆ PUBLICÆ,

1691, 11

Quam

Suffragante Jehovâ

Et

Illustris Jctorum Ordinis indultu

In Alma Philurea

PRÆSIDE

DOMINO BARTHOLOMÆO

LEONH. SCHWENDENDÖRFFERO,

Jcto, Antecessore Famigeratissimo, Canoni-

co Martisburgensi, Curia Electoralis Supremæ &

Facultatis Juridicæ Assessore Gravissimo, nec non Decem-

Viro Spectatissimo &c.

Dn. Patrono ac Præceptore suo plurimum devene-
rando,

Publico Eruditorum Examine proponit

AUCTOR

GERHARD. FRIDERICUS JACOBI,

Susato-Westphal.

Ad d. 22. April. A. O. R. M. DC. XCI

In Auditorio Jctorum.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTOPH. BALTH. LAMBI



140.



CONSERVATIONE

PATRIÆ
PATRONIS

ET

AMICIS

GERHARD. HILDEBRICUS JACOBI

ADRESSE: O. R. M. D. C. X. C. I. I. I.
IN AUSTRIA
TYPIS CHRISTOPH. BALTHEI LAMM. V. HALLÆ



J. N. S. S. E. I. T.

PRÆFAMEN.

Non sufficit Civitati, viarum securitatem curare, anno-
næ caritatem declinare & frugum proventum, alia-
umve rerum usum promovere; Sed illa etiam eò po-
tissimum prospicere debet, ut Viæ Publicæ semel legitimè pro-
curatæ pariter ac stratæ imposterum sufficienter reficiantur
& conserventur. Sicut namq; apud Veteres olim (in. à adhuc
tempore Justiniano) Usus Viæ Regiæ & Navigatio Juris
tium esse videbatur (imitamine sc. Gentis ad Gentem, quod
tamen jus Gentium propriè sic dictum, causari non poterat,
Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 3. §. 5.) & cunctis hominibus ex æqui-
tate Justitiæ (universalis saltim non particularis) patere debe-
bat, arg. Leg. 11. C. de Servitut. & Aqua. Ita quoq; laudabilis ille Ro-
manorum mos exindè magis æstimabili suâ dignitate consta-
re cœpit, quando Resp. illorum præter Prætores etiam habe-
bant Ædiles Curules, quorum officium in hoc consistebat, ut
publicè Urbem curarent, ceu prudens paterfam. privatim suâ
curat familiam. Obligabantur quippe sacras privatasq; ædes
procurare & inter alia imprimis vias publicas tueri, incendiis-
que arcendis intervenire L. 1. ff. de Offic. Præfect. Vigil. Et hoc insti-
tutum Græci Jcti non immeritò antiquissimum & Reipubl.
utilissimum vocant. Testantur hoc ipsum quam plurima Ro-
manorum Scriptorum volumina in quibus CURA VIARUM
haud infrequens titulus occurrit, quorum diversas descriptio-
nes Nicol. Henelius ab Hennenfeld in Ot. Uratislaviens. Cap. IV.
annotavit. Ipsum modum sternendi vias, quo usi Romani præ-
ter Tacitum, Plutarchus in vita C. Gracchi nobis exhibet: nec
minus utilitatis, quam pulchritudinis venustatisq; rationem
habitam fuisse tradit. Sanè per totam ferè Italiam, tantam esse
viarum magnificentiam refert Dion. Halicarnass. lib. 11. Roman.
antig.

antiq. ut structuram earum tribus fabricarum Romanæ Reipubl. miraculis annumerare nullus dubitet; In Gallia quoque hodiè magnum adhuc esse viarum Curatorem, qui vocatur *Maitre des ponts, passages & chemins*, id est, qui viarum & itinerum publicorum curam exercet, scriptum reliquit Petr. Gregor. Tholosan. *lib. 3. syntag. cap. 13. n. 5. jure Noviori* viarum urbanarum conservatio illis Magistratibus, quibus cura urbis & ædificiorum mandata est, incumbit *L. 1. ff. de via publ. & si quid in ea fact. ess. dic. L. 2. §. 24. ff. ne quid in loc. publ. vel itiner. fiat. L. ult. §. de Cloac.* Quiq; in viis corruptis refarciendis diligentes esse jubentur *d. L. 1. §. 2. & fin. ff. de via public.* Quoniam igitur non solum veteres tam Exteri quam Romani Principes & Imperatores, hanc rem tanto favore, tantaq; laudabili commendatione dignissimam, minimè negligendam putarunt; Verum etiam paucissimis incognitum esse possit fortissimi Seculi præterlapsi Herois Landgravii Philippi Hassiaci assertum. *Man soll einen guten Fürsten bey NB. reiner Strassen/guter Münz und Haltung beschehener Zusage erkennen vid. Brautlach. Ipr. Publ. lib. 6. c. 6. §. fin.* Hinc Ego quoq; horum commendationes secutus, ex hac materia aliquod (quale quale licet) studiorum meorum specimen, ante discessum meum ex hac Florentissima Academia depromere atq; publicè exhibere constitui. Lubenter interim fateor, me hoc thema multò accuratiùs pertractare debuisse; Ast cum partim vitæ ratio hîc diutiùs commorandi licentiam mihi deneget, partim etiam Commentariorum defectus obstet, paucula impræsentiarum pro modica ingenii mei tenuitate delibasse & extremo quasi digito attigisse sufficiat. Antequã autem hanc telam exordiar, ad exemplum Imperatoris nostri *L. 2. Cod. de Offic. Præfect. Prætor. Nov. 85. & Nov. 109. princ.* Altissimum Numen calidissimis imploro Suspiriis, ut huic labori, meisque conatibus felices faustosque largiatur Successus!

APHOR.

(3)

APHOR. I.

VX rubro cuius ad oculum patet, nos vocabulum
 Viæ hâc vice, non prouti in materia Servitutum sumitur, accepisse; Sed uti à nobis consideratur, nihil aliud est, quam portio territorii ad directum sive porrectum, nec non ad anfractum seu flexum, certis latitudinis finibus ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publicè iretur & commearetur, relicta, Dn. Struv. *Syntag. Jur. Civ. Exercit. 45. th. 55.* Quæ definitio quoad maximam partem in *L. 2. §. 21. ff. ne quid in loc. publ. fiat* exstat add. *L. 8. L. 13. §. 2. & 3 ff. de S. R. P.* Vox autem Territorii denotat Universitatem quandam agrorum intra alicujus civitatis fines sitam *L. 239. §. 8. ff. de V. S.* Hinc omne illud, quod ex agrorum universitate in eum finem relictum est, ut in eo publicè iretur & commearetur via appellari consuevit. Dn. Ziegler, *tractat. de Jurib. Majest. lib. 2. cap. 17. §. 1.*

APHOR. II.

Ex liberrimo cujusvis Majestatis aut Principis territorialis beneplacito (quod tamen cuilibet in suo sive Regno, sive Provinciali solo patrimonialiter possessio, pro lubitu immutare licet) Viarum quædam Publicæ, quædam Privata, quædam Vicinales, Surd. *Decis. 42. Cœpol. de S. R. P. c. 3. tit. de Servit. vie.* Publicas vias dicimus, quas Græci nominarunt βασιλικὰς, regias sive regales h. e. amplas & magnas. Nostri Prætorias, vel Consulares vel Militares eas vias, quæ non sunt vicinales nec privata, promiscuè appellant *L. 2. §. 22 ff. ne quid in loc. publ. vel itinere fiat.* add. Ziegler. *dict. loc. §. 4. in fin.* Virgilio *Strata viarum*, posteriori autem seculo simpliciter *Strata*, nuncupantur, *Libr. 1. Æneod.* Undè Italicè *Strada* & Germanico idiomate, sive *Kaysersl. Heer- oder Reichsstrassen* exprimentur Rosenthal. *de feud. cap. 5. concl. 21.* Befold. *Thesaur. pract. voce Landstrassen num. 19.* Idque ideo quod olim Prætores aut Consules, & hodiè omnes illi quibus Jus belli & pacis in Provincia competit (minimè verò exteri Principes) per eas exercitus suos ducere poterant ac solebant. Possent etiam intuitu hujus voculæ *Stradæ* sive *Stratæ* mentio fieri *Stratæ Montanæ*, de qua tamen vid. Burgold. *Privatæ viæ, etiam agraria dictæ, dupliciter sumuntur,*

tur, vel *proprie*, sc. pro his, quæ sunt in solo alieno & agris, quibus Servitus est imposita, ut ad agrum alterum ducant, *d. L. 2. §. 21. & 23.* vel *improprie* nimirum pro his, quæ ad agros quidem ducunt, sed per quas omnibus permeare licet, & in quas exitur de via Consulari, & sic post illam excipit via vel iter, vel actus ad villam ducens, germanicè vocantur, *Feld. oder Holzwege*; Hæ verò potius sunt viæ publicæ, *d. L. 2. §. 23. in fin.* Ab utrisque his tam publicis, quam privatis distinguuntur Viæ Vicinales, quatenus non sunt omnimodò publicæ vel privatæ, sed earum nonnullæ sunt privatæ & quædam publicæ, *Conf. Jul. Pac. Isagog. in Digest. ne quid in loc. publ. vel itiner. fiat.* Tunc autem in numero viarum publicarum habentur, si ex collatione privatorum non sunt constitutæ. *d. §. 22.* vel si earum memoria non exstat *L. 3. ff. de loc. & itiner. publ.* add. *Magnif. Dn. Struv. S. J. C. loc. citat.* Et extra hunc casum loco privatorum, habentur, *Petr. Frider. de Interd. tit. 3. num. 7.*

APHOR. III.

Ut autem Via dicatur publica; Tria Dd. requirunt (1) quod per eam publicè iter fiat (2) quod solum sit publicum (3) quod nos ducat in civitatem, villam vel coloniam *d. L. 2. §. 21. & 23. ff. ne quid in loc. publ.* add. *Surd. citat. Decis. 42. n. 4.* & per hoc distinguitur à privata via; Nam primò viæ privatæ solum alienum est, jus tantum eundi & agendi nobis competit *§. 1. ff. de S. R. & M. P.* Viæ autem Publicæ solum publicum est *d. L. 2. §. 21.* Secundo Viæ privatæ latitudo ex *LL. XII. Tabular. in porrectum octo pedes & in anfractum h. e. ubi flexum est, 16. pedes habere debet, L. 8. ff. de S. R. P.* Idem quoque moribus nostris observari tradunt in servitute itineris, cujus latitudo jure non est determinata, ut sit trium aut quatuor pedum, *Struv. Ipr. Rom. Germ. for libr. 2. tit. 3. aphor. 7.* add. *Schneidew. ad Instit. de Servit. num. 12.* Et hæc est legitima viæ privatæ mensura, à qua tamen aliquando contrahentibus recedere per conventionem integrum est, *L. 13. §. 2. ff. de S. P. R.* Quod secus est in viâ publica, cui nihil quicquam privatis detrahere licet, privatorum enim conventio juri publico non potest derogare *L. 45. ff. de R. J.* & pactis civium publica utilitas non mutatur *L. 2. §. 4. C. de jurejur. propt. calumn. L. 38. L. 42. ff. de pact.* Ad minimum verò utraque via, tam publica quam privata, eam latitudinem habere debet, ut currus sibi invicem cedere possit, *Land R. Lib. 2. art. 59.* Tertio Sufficit ad viam per servitutem constitutam ista latitudo, quâ eadem & per eandem orbitam ire & redire oportet, ne prædio servienti plus decedat, quam alteri opus fuerit; Sed via publica, majus exigit spacium (dummodò tamen

loco

locorum angustia hoc permittat) non quidem uni eidemque vehiculo ducendo & reducendo, sed pluribus sibi invicem obviantibus, ne alterum alteri impedimento sit. Quid autem obtineat, si currus in via arcta sibi occurrant vid. apud Struv. *Ipr. loc. allegat. aphor. 8.* Quapropter plurimi hodie communiter viæ publicæ latitudinem spacio sedecim pedum ampliore definire solent, Petr. Gregor. Tholosan. *Syntag. Jur. lib. 3. cap. 13. num. 2.* Joh. Oetinger. *de jur. limitat. lib. 1. cap. 9. num. 2.* Coeterum ubi certa viarum latitudo non est determinata, mores & observantia cujuslibet loci attendendi sunt, à quibus totum hoc thema dependet; Plures viarum differentias adducere nunc brevitatis studio supersedeo, qui earum cupidus, evolvat Surd. *dict. Dec. 42.* Boss. *pract. crim. f. 360. & 620.* Gilhaus. *arbitr. judic. civil. c. 3. num. 144.* & de triplici viarum Specie Publica, Privata, ac Vicinali Viv. *Decis. 488.*

APHOR. IV.

Præmissis ita generalibus quibusdam, quæ ad præfixi thematis dilucidationem pertinere videbantur, sine ullis verborum ambagibus, ad rem ipsam progredimur, sc. ad modum conservandi Viam Regiam; ubi considerabimus (1) Personas ad quas conservatio viæ regię spectet (2) Quibus sumptibus via regia refici debeat (3) Quinam ab hisce sumptibus sint immunes & denique (4) breviter modum, per quem subditi ad hoc munus compelli possunt.

APHOR. V.

Cum ex hoc Fisci regali universum jus sive redditus, qui ex viis publicis dependent ad Principem, vel Eos, qui ex hujus concessione aut saltim præscriptione immemoriali id sibi acquisiverunt, pertineat, Henr. Bocer. *de Regalib. cap. 2. n. 144.* Sixtin. *de Regalib. lib. 2. cap. 2.* æquum etiam erit, ut Illi ea, quæ ad viarum hujusmodi conservationem atque securitatem spectant, sedulo curent. Ad quem enim spectat rei alicujus patrimonialiter obtentæ juxta & possessæ usus, ad eum etiam onus reficiendi (Regulariter, except. vid. apud Dd. *ad L. 10. ff. de R. Jur.*) pertinet, Colleg. Argent. *ad Tit. ff. de operib. publ. lb. 8.* Christin. *Dec. 157. n. 7. vol. 5.* Et qui sentit ex re quadam commodum, debet quoque ejus incommodum ferre *cit. Leg. 10. ff. de R. J. L. 1. §. fin. ff. de aqua & aq. plu. arcend. L. 18. ff. de usufr. L. 7. ff. de pericul. & commod. rei vendit. L. 12. C. de action. emt. & vendit.* Unde Imperator negat, ferendum eum, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit, *L. unic. §. 4. Cod. de Caduc. tollend. L. 55. ff. pro soc. add.* Guillem. Grot. *de princip. Jur. Natur. cap. 8. num. 11.* Hæc tamen Principis cura non ad quaslibet vias, sed solum ad

justi-

rusticas restringenda venit ; verius enim est , vias urbanas sub nomine Regiarum non comprehendi & nunquam comprehensas fuisse, nec proinde ad hoc regale pertinere, etiamsi per ipsas urbes intermedias viatores quandoque necessitas eundi urgeat, Dn. Ziegler. *d. Tractat. Lib. 2. cap. 17. §. 6.* Sic etiam via publica extra pagum sive urbem esse intelligitur, quam primum autem pagum ingreditur, via publica esse desinit, Zang. *de Except. p. 2. c. 1. n. 242.* Atque ob hanc rationem viae publicae mensurationem secundum milliaria non à porta Civitatis, sed à continentibus aedificiis inchoare & instituere solemus, Cœpoll. *de S. R. P. c. 3. num. 15.*

APHOR. VI.

Non tamen hæc ita accipienda sunt, quasi circa viam urbanam Principi nullum jus competat ; Ridiculum enim imò absurdum esset, Ei, qui summo gaudet imperio, hanc potestatem denegare velle ; Cum quotidianâ experientiâ edoceamur, quod Principes non solum jus habeant præscribendi architectis, quousque & quatenus subditorum aedificia extrui debeant, quantumque spacium plateis relinquendum sit, sed etiam quod non sufficiente Magistratus potestate, vias ab omni grassatorum vi & insultu tutas reddere *L. 3. L. 13 ff. de offic. Præsid. L. 4. §. 2. ff. ad L. Jul. Peculat. §. 2. de anno 1559. §. und haben uns ic. p. 558. Bocer. de Regalib. cap. 2. num. 144. easque reficere ac sartas tectas conservare teneantur L. 7. C. de SS. Eccles. Ludwell. Synops. feud. cap. 13. Et civitatis sanè maximè interest ad avertenda incendii pericula, ad sanitatem, tempore contagioso conservandam ; atque Commercium commodè exercenda, plateas habere tantæ latitudinis, quanta rei cuique fuerit sufficiens.*

APHOR. VII.

Illud hinc incidenter Quar. Utrum Principi vel territorii Domino in extruendis propugnaculis vel dilatandis fossis subditorum domos vel agros ob publicam necessitatem destruere aut occupare liceat? Quod Dd. communiter affirmant, vid. Myler. ab Ehrenbach in absolutissimo tractat. de Princip. & Statib. Imper. Cap. 77. num. 3. Gail. 2. obs. 56. per tot. add. Guilielm. Grot. de Princ. Jur. Natur. cap. 13. §. 9. ibique notat. Dn. Simon. Non tamen (si accurate loqui velis) hæc potestas Principi competit ex dominio supereminente, tanquam ex dominio singulis subditis intuitu suorum bonorum patrimonialium arg. *Leg. 49. de verb. Signif. Superiore, ceterum Hug. Grot. Statuunt Vinn. ad §. 2. §. de his qui sui vel alien. jur. sunt. Lampad. de Rep. Germ. p. 3. c. 9. n. 5.* Nam illud Princeps in suos subditos non habet, quia alioquin revera essent servi,

servi, Excellentiss. Dn. Simon *in Colleg. privat. ad Struv. S. J. F. cap. 5. §. 6.*
 Sed vis imperii, propter salutem publicam sufficientem illi titulum & facultatem præbet urgente five utilitate maximâ five extremâ utendi bonis suorum subditorum, vel ad minimum illos obligandi & mediis sufficientibus adigendi ad hoc, ut in commune conferant, restitutionem expectanturi quocunque tempore inevitabilis indigentia cessaverit. Idque multò magis ideò quod constituto Principi, tanquam Reipubl. capiti, ea quoq; omnia simul concessa intelligantur, sine quibus bonum Publicum commune obtineri non potest, vid. Lyseri *Tractat. pro Imper. contr. Domin. Super. Eminent. Hornio opposit. per tot. Ziegler. ad Grot. Lib. 1. c. 1. §. 6. Sutholt. Dissert. de Jurisdic. aph. 27. junct. aphor. 76. Franzk. lib. 2. resolt. 7. num. 28. & seq.* Licet enim Lex naturalis, quæ etiam Principem obligat, Dn. Struv. *S. J. F. dict. loc.* alteri suum auferre prohibeat, Lex tamen alia superior, tanquã causa potentior jubet, ut salus publica procuretur, *Nov. 39. c. 1. pr. vers. Sancimus.* quæ omnia etiã invitis subditis facit non quidẽ communia actu, sed communicanda ad statũ præsentẽ *Leg. 14. §. 1. ff. quemad. servit. vind.* Perez *in C. lib. X. Tit. 5. n. 13.* Quid? quod propterea ab initio in unũ Corpus Politicum coiverimus, unumq; corpus morale constituerimus Dn. Simon *in Colleg. Privat. ad Grot. loc. alleg.* (qui tamen monet *in not. ad Grot. L. 2 c. 14. §. 7.* concordiam inter alleg. Dd. Dissidentes dabilem esse, si quis dominium supereminens & Imperium extraordinarium in Principe ratione rei, quam exprimere debent, pro Synonymis accipere velit: Cum aliàs in verbis, modò in re conveniamus, debeamus esse faciles) Atque ex hoc permissum esse adstruit Decius Magistratui, domum peste infectam, cum omnibus ibi contentis rebus concremare add. *Ripa de pest. cap. 6. num. 48.* Æquum autem est, ut Princeps destructionis damnum ex publico vel aliorum Subditorum collectis justo pretio compenset, Brunne-
 man. *ad L. 9. C. de operib. publ.* Joh. Sande *lib. 5. tit. 7. def. 8.* Struv. *loc. alleg.* Fachin. *lib. 8. controu. c. 63.* Add. Struv. *Dissert. de ædific. privat. th. 67.* Nam ratio naturalis dicitur, ut ille, qui propter amissas res omnibus profuit, suum consequatur, Carpzov. *part. 2. const. 33. def. 16.* Grot. *de J. B. & P. Libr. 2. cap. 14. §. 7. cum seq.* Hahn. *ad Wesenbec. in observat. pag. 550.* Dissidentibus satisfactum à Dn. Simone ad Grot. *loc. cit.*

APHOR. IIX.

Neque mirum, vias regias Regalibus accenseri: Siquidem inter ea,
 B quæ

quæ Principem suo officio suâque autoritate dignum arguunt, haud infimo loco habendum est, si itinerantibus id præstet, ut commodè & absque metu ac periculo per vias commeari queant *L. 1. §. 1. ff. de his qui effuder. vel dejecer.* Undè & Imperatores veteres, hanc curam sibi, certos sc. viis publicis Curatores attribuendo reservarunt, Sixtin. *de Regalib. L. 2. cap. 2. n. 12.* Qualem Curatorem generum suum Agrippam Augustus esse voluit, teste Sueton. *in ejus vit.* Adde è recentioribus eruditè Lipsium, *ad III. Tacit. Annal. Cujac. Eos, VIOCIROS,* vocabulo etiam Varroni noto, appellat *Lib. 4. de LL.* ubi ita scribit: *Quis enim non videt, undè aurifodina & Viocurus.* Hocque ipsum magnificisse Philippum Hassiæ Landgravium constat *ex Præfam. Dissert. præsent.* Quandoque tamen privatus viarum restaurationem operâ suâ absque læsione jurium Majestatis suscipere potest, sed cum hoc merè voluntarium sit, atque in parte perquam exigua absolvatur, ita metuendum est, ne aliquando sit, qui nullam planè ejus loci curam habeat, atque hoc modo via prorsus invia evadat. Quam negligenter enim ab hominibus privatis viarum publicarum cura iterum atque sæpiùs habita, licet eam publicâ autoritate suscepissent, Scriptores Romani ad nauseam produnt; Sic Tacitus *Lib. 3. Annal.* tradit, quod plurima itinera fraude mancipum & incuriâ Magistratum impervia & destructa reddita sint, add. *Lips. ibid.* Quando verò hæc cura Principi defertur, metus hic cessat, & longè faciliore cum successu viarum ductus construatur. Idem etiam dicendum de muris Civitatum, nam hoc jus interdum magnâ pecuniâ Principes vendidisse constat *ex L. 9. §. 4. de R. D. L. 2. ff. ne quid in loc. publ. L. 6. ff. de operib. publ. Gloss. & Bartol. ad L. 3. C. de divers. præd. rustic. & urban.*

APHOR. IX.

Solent aliàs Dd. rationes, quare via publica inter Regalia numeretur, afferre potissimùm tres (1.) quia solum est publicum, ejusque dominium fiduciarium frequentissimè à Principe patrimonialiter & pro lubitu ratione concessionis & usus dependet, cui tunc contradicere subditis, tanquam potentiæ passivæ, haud licet, Dn. Simon *in colleg. Privat. ad Struv. S. J. F. cap. 6. §. 7.* (2.) quia Reipubl. interest, ut viæ benè munitæ existant atque conserventur (3.) quia non tantum Principes & Magistratus securitatem in viis regiis præstant *L. 1. §. 12. ff. de Offic. Præfect. Urb. L. 13. ff. de Offic. Præsid. Carpz. pr. crim. part. 2. quæst. 90. Rosenth. de feud. cap. 5. concl.*

20. add. Struv. *citat. cap. 6. aphor. 23.* sed etiam cives Provinciae & territorii cujusque cogere possunt, ut vias publicas muniant. Bocer. *de Regalib. pag. 130.*

APHOR. X.

Quandò igitur solum dicitur publicum, facilè liquet, illud in nullius privati dominio existere posse; Licet enim viæ singulorum quoque esse possint, prouti ex privatis sive agrariis constat, interea tamen earum solum publicum non est, nec ipsæ etiam publicæ dici possunt, Vult. *ad. §. 4. §. de R. D. n. 4.* Nam publicare idem est, quod publicum facere, eximere sc. rem privatorum commercio, eamque publicis usibus destinare, quod nullus privatus potest, sed ad solum Principem pertinet, Ziegler. *de J. M. loc. cit. §. 10.* Elegans ad hanc rem casus prostat in *L. 38. ff. de A. R. D.* ex quo probatur, quod licet via publica per excrecentiam fluminis fuerit occupata & totaliter absorpta, tamen si postmodum vicinus ad defensionem agri sui contra exstruxerit & sic flumen in antiquum alveum redire fecerit, nihilominus dicta via sit in pristinum statum restituenda; non obstante eo, quod ager vicini privatus juri alluvionis subjiciatur. Legem hanc laxius resolvit, Excellentiss. Dn. Simon ad Grot. *L. 2. c. 8. §. 17.* & per Schema typis exprimi curavit Aymus *de Jur. Alluvion. p. 338.* Coeterum munus atque jus vias, muros & pontes &c. reficiendi ac muniendi, Civitatibus aliisque universitatibus plerumque injunctum & concessum est. Luc. Penens. *in L. 1. C. de divers. præd. Urban. & rustic.* Hottoman. *Cons. 3.* ubi docet. jus permittendi fenestram in muro municipii facere, non ad Consiliarios Principis, sed Decuriones pertinere; Civitates verò liberæ atque Imperiales, non solum jus habent reficiendi, sed etiam muros propugnaculis, vallo & fossâ munire possunt, Scip. Gentil. *Disput. illustr. 6. lib. 74.*

APHOR. XI.

Non incongruè hîc Quar. An Princeps, viam hæctenus tritam omittere, aliamque novam per agros Subditorum suorum, utilitate publicâ exigente constituere possit? Affirmat Ziegler. *loc. allegat. §. XI.* Si damnum, quod illis inde infertur ex publico resarciatur Grot. *L. 2. c. 7. §. 14. arg. L. Rhod. de fact.* Favor enim publicus tanti momenti est, ut privatorum favori facilè præponderet, utque hîc illi cedere cogatur conf. *L. unig. §. 14. C. de caduc. tollend. L. 1. §. 7. ff. de Cloac. L. 3. C. de primipilar.*

Lib. XII. L. 10. C. de SS. Eccles. L. ult. § 3. C. comm. de legat. C. 3. X. de post. prælat. C. 10. X. de renunt. Cessat tamen retributio (1.) Si in vicinum fundum via sit rejecta, quia ob coenum vel aquam in ea stagnantem non potuit populus eâ uti, atque ejus purgatio & refectio ad eos, qui ab utraque parte prædia possident, pro latitudine cujusque agri pertinet, uti LL. atque moribus apud Omlandos, omnesque ferè tam Germanos quàm Belgas sancitum & cautum est; Et qui tunc in reficiendo purgandoque itinere negligens est; Ei ad damnum à viatoribus illatum, recuperandum nulla conceditur actio, cum damnum quod quis suâ culpâ sentit, sentire non videatur *L. 203. ff. de R. Jur.* (2.) Si via planè omissa & in vicini proximi fundum sit rejecta, nec tamen hujus, domino fiet retributio pretii, si hanc aliundè capiat. Quid enim si id, quod ab hac parte fluminis perdis aut de tuo ad publicum usum adhibetur, ab aliqua parte persequi possis, uti fit in agro Moërsanæ ditionis, qui est situs inter Teutoburgum & confluentes Rheni Rhuræque aquas, in quo agri sunt limitati, hinc & nullum jus alluvionis in illis procedit *L. 16. ff. de A. R. D.* Hoc sanè casu bona fides haud patitur, ut pretium ex ærario publico petatur atque bis exigatur *L. 57. ff. de R. J.* Notari etiam hîc potest, quod destructâ propter casum viâ publicâ, vicinus proximus per suum fundum transitum concedere debeat *L. 14. §. 1. ff. quem. servit. amitt.* idque non per actionem, sed per nobilis officii Judicis implorationem Brunnem. *ad L. 11. C. de servit. & aqua.* Dn. Struv. *S. J. C. Exerc. 45. th. 55.* Gothofred. *ad d. L. 14.* Idem quoque Sereniss. Elect. Brandenburg in Edict. P. P. anno 1670. d. 19. August. edito statuit, ubi in Clivia & Marca iter facientibus permisit per fundum proximum viâ publicæ transire, si hâc uti commodè & absque periculo nequeant. Imputari enim sibi debet vicini Dominus, quod viam publicam non refecerit, cum legibus aut moribus id ad ejus officium pertineret, aut à Principe, jure antea de re non præscripto, imperatum esset, Louet. *recueil. d' aucuns notables arrest. Lit. C. arrest. 2.* Porro suboritur Quæstio maximè controversa & plerumque armis magis, quam argumentis & rationibus enodata: An Princeps aut status Imperii alteri statui concedere teneatur transitum suorum militum, *ob er schuldig sey den Paß zu verstatthen?* Quam affirmat cum Grotio *de Jur. B. & P. L. 2. c. 2. n. 13* Myler. *de Princip. & Statib. Imper. cap. 67. n. 6.* Si cautio de non offendendo accesserit; Sed licet negare nequeam, humanitati quadantenus adversari, si quis

quis

quis transitum concedere nolit, quem innoxium & sine damno futurum promissit Princeps præstita cautione, si quid secus contigerit; attamen exinde talis obligatio non nascitur, ut denegare non liceat. Cautio enim non sufficit ad jus meum dominii, mihi invito auferendum; Imò in nobis potest esse obligatio, ut tamen alteri nullum jus acquiratur, Grot. L. 2. c. 11. §. 3. Hinc si transitus denegatus fuerit, non propterea alteri jus competit viam sibi ferro aperiendi & violenta invasione transitum quaerendi, quod ne quidem secundum Regulas Justitiæ particularis, quæ meum & tuum propriè sic dictum præsupponunt, licet, etiamsi sine justa ratione denegetur Dn. Simon in *Colleg. privat. ad Grot. loc. citat.* Quæ enim ex charitate debentur, illa jus exigendi aut invadendi nobis non tribuunt, Layman. *Theol. moral. lib. 3. tract. 3. c. 1. n. 8.* Quapropter ejusmodi auferens, non solum peccat in auferendi *Modo*, sed & in auferendi *Jure* vid. Dn. Simon. *Dissert. de ablat. rei alien. in cas. necess. th. 10.* Nihil movet, quod nonnulli de communi Viarum usu objiciunt, istud enim ita semper temperandum est, ut Reip. causa potior habeatur, Ziegler. *ad Grot. loc. allegat.* Neque etiam illud, quod privato licet, ad integros exercitus extendendum est; Plurimæ enim causæ subesse possunt, propter quas exercitui transitus denegari possit. Inter eas sanè non exigui momenti est futuri belli metus. Quando autem Grotius, jus meum transeundi metu tuo non tolli; contendit, verum quidem est, quamdiu non accessit prohibitio. Ut proinde idem eveniat transitum militarem deneganti, quod ei, qui alteri iter, actum aut viam per prædium suum privatum, liberum tamen ab onere servitutis, recusat. Breviter: denegans transitum, quantumvis sine causa, non peccat contra justum particulare, sed solum universale, de quo tamen vid. Grot. *loc. cit. §. 3.* adeoque prætendi nequit ex fonte *τὸ Sui res domino cum transituro communis*, sed tantum *communicanda* ex fundamento (misericordiæ puta, Liberalitatis, benevolentia, spe talionis &c.) *aptitudinis*; Jam verò ad quod alter aptus est, ad id ego non statim obligor. Injuria quæ ex denegatione transitus inducitur, planè nulla est, cum injuriam is non committere dicatur, qui jure suo utitur, L. 13. §. 1. ff. de injur. L. 24. §. 12. L. 26. ff. de damn. infect. Accedit, quod liberum, quem jactitant transitum, non armatorum tantum hominum, sed aliorum etiam, ita semper Principes quippe territorii domini, temperare solent, ut pro variante commodi publici cura permittatur & interdicator, prouti ex omnium

seculorum moribus satis superque patet, *Conf. Selden. de mar. claus. lib. 1. c. 20.* Sed frustra disputatur in scholis de rebus, quæ in armata ut plurimum, definunt consilia.

APHOR. XII.

Postquam nunc Regalia præprimis temporibus, vid. Myler, ab *Chrenbach Archolog. cap. 8. §. 2. in fin.* Imò etiam post Caroli M. tempora Germaniæ Principibus hæreditario & perpetuo jure, cum nomine ac dignitate Ducum, Marchionum & Comitum, sunt communicata, *Sutholt. Dissertat. de Jurisdic. apher. 403.* Viæ Publicæ perindè ut privatæ in patrimonium Principis abierunt, *2. Fend. 56. ibique Dd. Knichen. de Jur. territ. cap. 1. n. 359. Reinking. 2. cl. cap. 17. num. 95.* Et cum Imperatore in suis territoriis non solum comparantur, *Men. conf. 2. n. 65. Myler. de Princip. & Stat. Imp. cap. 14. §. 9. cum seqq.* sed & intuitu horum jurium Status in suo territorio, tantam potestatem habet, quantam Imperator in toto imperio habere dicitur, *Dn. Præses in Colleg. Privat. ad Dn. Stryckii Ex. J. F. c. 13. q. 16.* ubi tamen monet hanc potestatem non esse absolutam & independentem, sed respectivam & dependentem, semperque eam ad Imperatorem tanquã caput, respectu habere, adeoq; apud quẽ manet Suprematus, depẽdere, quæ dependentia non tantum est feudalis, sed etiam certo modo simul subjectionis, *A. B. tit. 2. R. U. zu Augspurg de ann. 1566. §. demnach.* hinc etiam non simpliciter dicitur Superioritas, sed cum quadam deminute adjectione territoriali, add. *Jllustr. Dn. à Seckendorff. im Deutschen Fürsten Staat p. 2. c. 2. §. 1.* Appellantur etiam Domini Provinciarum *L. 6. de offic. Præsid.* Imò sunt quasi Impp. & Reges, *Bachov. ad Tr. V. 1. D. 3. th. 4. lit. E. Sutholt. d. loc. §. 405.* Ideò Regalia non tantum ab Imperatore immediatè promanant, sed etiam per subinfeudationem & concessionem, tanquam privilegia mediatis Imperii Civibus conceduntur, *Wesenbec. conf. 45. n. 36 V. 1. Struv. S. J. F. cap. 6. §. 13. n. 3. Ziegler. ad Grot. L. 2. c. 4. §. 13.* Nam emolumenta Regalium, ab ipsis Regalibus benè separari & jus quoque percipiendi ea, in subditos transferri posse, *ut tamen hæc simul non conferantur,* exemplo usufr. demonstrari potest, usufructuarius enim licet usumfructum alienare nequeat, *L. 66. ff. de jur. dot. §. 3. J. de usufr. potest tamen jus ex usufr. fluens, h. e. facultatem utendi, quousque vivit, vendere & locare, L. 12. §. 2. ff. de usufr. L. 38. eod. add. Brunnem. ad L. 9. C. h. t.* Siquidem per cessionem ipsius usumfructus, per venditionem verò jus saltim percipiendi transfertur,

Franzk.

Franzk. *Exerc. 5. q. 5.* Itaque non valet cessio, valet tamen concessio, Carpov. *p. 1. const. 32. def. 21. Id. part. 2. constit. 25. def. 16.* Et transfertur tum non personale jus ususfructus, sed reale, Vinnius *ad §. 1. 7. de usu & habitat.* Quod consistit in commoditate fructuum, Joh. del. Castillo *de usufr.* Ungepaur. *Exerc. 6. Q. 9.* Ad eundem modum, commoditatem five jus percipiendi emolumenta ex vectigalibus Principes suis subditis concedere possunt, ut tamen ipsi non statim regalia sibi acquirant, neque per modum Regalium vectigalia exercent. Hinc totâ die videmus, plurimas Civitates Municipales non solum actus quosdam Jurisdictionis exercere; Sed etiam singulari privilegio aut titulo oneroso imperiû merum habere, & de criminibus cognoscere, Myler. *de Princip. & Statib. Imper. cap. 47. §. 6.* Bocer. *de Jurisdic. cap. 8. n. 2.*

APHOR. XIII.

Hâc occasione *Quer.* Ad quem cognitio & executio criminis in via publica perpetrati pertineat? Plurimi hoc in casu, ei, qui mero imperio circa viam publicam gaudet, facultatem puniendi & cognoscendi tribuunt, Bocer. *de Regalib. cap. 2. num. 145.* Scipio Gentil. *Disp. illustr. 6. th. 76.* Rosenth. *de feud. cap. 5. conclus. 21. & Alii*, hâc ratione suffulti: Quia cuicumque in toto territorio merum imperium concessum est, Ei quoque hoc ipsum in quavis territorii parte concessum esse intelligitur *arg. L. 239. §. 1. ff. de V. S.* Cum igitur Via publica per alicujus territorium transeat & ejusdem quasi pars sit, ei quoque in via publica merum imperium competere necesse est. Verùm quoniam via publica ad solum Principem pertinet patrimonialiter & ab agris vicinis adjacentibus planè diversam & separatam habet naturam, sive, ut Bachov. *ad Tr. vol. 2. D. 20. th. 5. lit. G.* loquitur, ex privatorum possessionibus decifam, aliisque planè diversis qualitatibus indutam: Sequitur etiam, neminem nisi Principem de crimine in via publica commisso animadvertere posse. Nam etsi Nobilis de castro cum suo territorio infeudatus sit, omnemque Jurisdictionem & simul merum imperium acceperit, non tamen is statim Idictionem in via publica habet, quamvis ab utraque parte, ejus Idictio ipsi competat, quia sc. Regalia, sive quæ jure regali habentur, per generalem concessionem non transferuntur, Magnif. Dn. Struv. *S. J. F. cap. 6. §. 23. in fin.* Nisi ergo in literis in-

vesti-

vestituræ expressa viæ publicæ fiat mentio, quod in ipsa etiam potestatem gladii investito exercere liceat, quantæcunque Idictionis aut meri imperii concessio amplissimis licet verbis descripta, id non efficiet, Ziegler. *de I. M. L. 2. cap. 17. § 32.* Atque hanc sententiam sequitur Carpzov. *pr. crim. p. 3. quest. 110. num. 42.* Dn. Struv. *Exerc. 9. th. 46.* Myler *d. tract. cap. 67. n. 4.* Berlich. *part. 1. Decis. 62. n. 7.* Add interim Zanger. *de Except. p. 2. c. 1. n. 244.* ubi Sereniss. Elector. Saxoniae distinctionem inter crimina commissa anno 1506. introductam & postea anno 1600. confirmatam adducit, verba Constitutionis hæc sunt: *Hierauff erklären und verwilligen wir / das nun hinfort unsere Unterhanen alle Händel/ so sich auff den Strassen begeben/ da ihnen sonst die Ober-Gerichte zustehen / unverbindert von unsern Ambt Leuten zurichten sollen haben / und davon nicht außgeschlossen/ alleine alle Gewalt-Sachen/ Raub und Zugriffe/ auch öffentliche vâhdliche Thaten / welche uns aus Krafft der Regalien und Fürstl. Obrigkeit zu richten zustehen/ wollen Wir Uns vorbehalten haben.*

APHOR. XIV.

Quoties igitur via reparatione indiget, Princeps architectos idoneos artisve peritos adhibeat, quique totius operis fabricam probe dirigere, demetiri, nec non disponere intelligunt, ceu benè monet Aristot. *1. de part. anim. 1.* Hi si certum opus, certâ mercede reficiendum conducunt, *Redemptores operis (Werkmeister)* vocantur *L. 51. §. 1. ff. locat. conduct.* Menoch. *de arbitr. Jud. quest. 221.* De quibus ita scribit Hyginus: *Via Publicæ auctorum nomina obtinent & Curatores accipiunt & per Redemptores manuantur.* Et talis artifex, qui peritiam artis profitetur operas suas locando, ad culpam non solum levissimam præstandam tenetur *arg. L. 25. §. 7. ff. locat.* Brunnem. *ad L. 28. C. locat. conduct.* add. Struv. *Exerc. 26. th. 20.* sed etiam omne periculum, quod vitio operis accedit, usque dum approbatum sit, ferre debet, *L. 38. ff. locat. conduct.* Struv. *d. L. th. 24.* Et si opus se facturum promissit, etiam ex sola pollicitatione ad perficiendum tenetur, *tot. tit. ff. de Pollicitat.* Tholosan. *Lib. 18. Syntag. c. 22 n. 3.* Architectus enim cum opus publicum curandum recipit, pollicetur, quanto sumtu id sit futurum; Traditâ æstimatione Magistratui bona ejus obligantur, donec opus

opus sit perfectum ; Eo autem absoluto, cum ad dictum impensa respon-
det, decretis & honoribus ornatur, Cujac. ad Tit. Digest. de oper. public.
Econtra pro opere vitiosè exstructo architectus mercedem petere nequit,
sed potius solutam reddere tenetur, imò & ad interesse præstandum (Si
fortè ante ruinam fatali casu factam, locatori interfuerit, opus confectum
fuisse) conveniri potest arg. L. 36. & 37. ff. Locat. conduct. L. 44. §. fin. de e-
dilit. edict. L. 7. §. 4. in fin. ff. quod vi aut clam. add. Brunneiman. ad L. 8. C. de
operib. publ.

APHOR. XV.

Potissimum autem Architectus ita viam sternere debet, ne sub specie
refectionis fiat deterior, quod contingit, si usus ejus ad commeandum
corrumpatur, h. e. ad eundum vel agendum, ut cum plana fuerit, clivosa
fiat, vel ex molli aspera, aut angustior ex latiore, aut palustris ex sicca L. 2.
§. 2. ff. ne quid in loc. publ. add. Mejer. in C. A. ad h. t. th. 6. & seq. ubi varias
causas, ex quibus via redditur deterior, recenset. Non prætereundum hic,
quod adversus Architectum & Redemptorem, qui hoc modo fefellit, de-
tur actio utilis, ex Edicto si mens. fals. mod. dixer. L. 7. §. 3. ibid. Wesenb.
in Paratit. ad eund. tit. n. 4. Dn. Struv. S. Civ. Exercit. th. 65. ubi hanc actio-
nem non solum ad agrimensorem, sed etiam ad alios similes extendit.
Notandus quoque in mendaces architectos text. L. 60. §. 4. ff. Locat. ibique
Mornac. Plura de Architecto vid. apud Anton. Florentin. 3 part. summ. tit. 8.
c. 4. §. 8. & Rütger. Ruland. 1. de commiss. L. 4. c. 22. Hoc unicum adhuc
addo, quod Architecto viam veterem in meliorem statum novamque for-
mam redigere non planè sit interdictum, Petr. Frider. de Interdict. tit. 3.
num. 34.

APHOR. XVI.

Satis de personis ; Jam instituti nostri ratio nos admonet, ut de me-
diis etiam sumis solliciti, quibus sc. sumtibus viæ regiae refectione perficien-
da sit. Ante omnia autem notandum, quod Princeps nemini facile immu-
nitatis privilegia concedere debeat, quando opera publica sunt reparanda.
Sunt enim odiosa & quandoque non levia inter subditos excitare solent
dissidia,

C



dissidia, quibus sopiendis & tollendis, maxima foepissimè subeunda sunt
 pericula, Casp. Klock. *de contribut. cap. 16. sect. 1. n. 4. & seq.* Cedunt quoque
 in privatorum præjudicium Brunnem. *ad L. 1. C. de operib. publ.* Quando igitur
 Princeps videt, privilegia à se concessa Reip. damnosa esse, ea revoca-
 re debet, exemplo Constantini *in L. 19. C. de Decurionib.* Naturâ siquidem
 æquum est, ut qui commodum sentiunt ex operibus publicis, etiam ad ea
 contribuant, adeo ut non sufficiente ærario, Ecclesia etiam suam quo-
 tam conferre cogatur *L. 7. Cod. de SS. Eccles. Cœpoll. de S. P. R. c. 3. n. 47. &
 seqq. Menoch. conf. 800. n. 24. Dn. Struv. S. C. Exerc. 45. th. 74. Carpzov.
 Iprud. consist. Lib. 2. tit. 22. def. 340.* quia illa utitur commodo itineris &
 pontium; E. etiam incommodum ferre debet *arg. L. 10. ff. de R. J. L. 1. §. fin.
 ff. de aqua plu. arcend. c. naturâ æquum est de R. Jur. in 6.* Eandem De-
 cisionem ad refectionem mœniorum, pontium vel portuum, nec non
 ad reparandos puteos, similesque necessitates extendunt Dd. quos videtis
 apud Brun. *ad L. 7. C. de SS. Eccles. Add. Struv. Exerc. 50. th. 80. Heint. Klock.
 de Jur. vetig. th. 22. lit. A. & B. ibique plur. Dd. citat.* Neque hoc casu quis-
 quam liberabitur, etsi usibus & commoditatibus putei aut viæ renunciare
 velit, Joh. Bapt. Costa *de rat. Rat. 9. 27. n. 8.* resectio namque puteorum vel
 viarum est onus publicum, ad quod omnes obligati sunt, & qui se exem-
 tum dicit, probare debet, *Mev. p. 4. Dec. 130.* Hinc etiam ille huic oneri
 subjacet, qui domi puteum habet, quamvis enim aquam publicam non
 habeat, indiget tamen publicâ aquâ tempore incendii, adeoque is me-
 diam partem ejus, quod alii solvunt, solvere debet, Brun. *ad L. 12. C. de oper.
 publ.* Et Emphiteutæ Principis se ab hoc onere excusare nequeunt *L. 1. C. de
 Collat. Fund. patrim. Lib. XI. Casp. Klock. de contribut. cap. 9. n. 65.* Miles
 quoque nullam vacationem habet *L. 11. ff. de vacat. & excusat. muner. L. fin.
 §. 24. ff. de munerib. ne veteranus quidem, L. 2. §. 1. junct. L. 4. ff. de veteran.
 L. 7. ff. de vacat. muner. L. ult. §. 23. ff. de munerib.* Quando autem *in L. 3. §.
 1. ff. de munerib.* dicitur, illis, qui castris operam per militiam dant, nul-
 lum jus municipale injungi posse; Non simpliciter de omni munere, etiam
 patrimoniali, sed personali tantum intelligi debet. Imò ne quidem di-
 vinas domus à viarum refectione immunes esse voluerunt *Imp. juxt. d.
 L. 7. C. de SS. Eccles. L. 4. C. de privileg. Dom. August. Lib. XI. L. 7. C. de operib.
 publ. L. 2. & seq. Cod. de quib. munerib. vel præstat.* Per domos autem divinas
 intelliguntur illæ, quæ aliàs Imperiales sive Augustæ in jure vocantur, uti
 bene

benè notat Molinæus *add. L. 7. Jung. L. 8. C. de exact. tributor. & Rubric. Cod. de privileg. Dom. August. Add. Cœpoll. d. loc. num. 49.* ubi tradit, quod Ecclesia quoque Gabellam solvere teneatur, quæ pro plaustris & curribus pro viæ refectione, quam plaustra destruunt, imponitur. *Sed Quer.* An idem dicendum de forensibus, illis sc. qui bona vel mobilia vel immobilia in teritorio collectas imponentis habent? De quo mirum in modum ferram reciprocant & contentionis funera ducunt Doctores, quorum tamen scrinia hic compilare non vacat. Interea Eorum sententia mihi verior videtur, qui ad consuetudines locorum confugiunt, secundum quas unusquisque collectam solvere tenetur illic loci, ubi res sita est, pro qua tributum penditur, *Theaur. Decis. 149. n. 2. & 3. Roland. à Valle vol. 1. conf. 32. n. 8. vid. tamen Franzk. Lib. 1. Resolut. 20. & Mev. part. 2. Dec. 372.*

APHOR. XVII.

Prostant hanc in rem in Codic. Theodosiano quædam Constitutiones, inter quas Principem facile locum obtinet, quæ *de Itinere muniendo* inscribitur, quâ perspicuè satis, & sine ullis verborum anfractibus Illustres Personæ & Principis domus, imò omnes cujuscunque etiam conditionis & dignitatis sint, partem suam conferre jubentur *L. 4. & 6. eod. Dn. Struv. d. Ex 50. th. 80.* Ut autem Principes, Aliique Proceres hoc onus sternendi vias libentiùs susciperent, Theodosius Junior munitionem viarum ex indice munerum sordidorum exemit, *L. 4. C. de privileg. Dom. August.* Nam olim Viarum refectionem inter sordida munera fuisse relatam docet *L. 15. & 18. Cod. Theod. de Extraord. Muner.* quam abrogavit Theodosius, qui viarum & pontium instructionem laudabile maximè opus appellat, illudque à maximis clarissimisque viris semper administratum fuisse abundè testatur *Plin. Lib. 5. Epist. 15. Cum via Æmilia curam Cornuto Terrentullo, suo in præfectura ararii & in Consulatu Collegæ, quo viro nihil melius, nihil sanctius, nihil in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius esse scribit, demandatum fuisse latatur: temporum simul felicitati gratulatus, quâ boni honores consequantur. Neque nullum his, quæ diximus, aut exiguum robur ex eo accedit, quod Honorius & Theodosius*

Asclepiodoto, Praefecto Pratorio, hisce verbis rescripserunt : *Absit ut nos instructiones viae publicae & pontium Stratarumque opera, titulis magnorum Principum dedicata, inter sordida munera numeremus. Igitur ad instructiones reparationesq; itinerum pontiumq; nullum genus hominum, nulliusq; dignitatis ac venerationis meritis cessare oportet. Domus etiam divinas tam laudabili titulo libenter adscribimus d. L. 4. C. de privileg. Dom. August.* Et hanc sententiam innumera monumenta vetera egregie comprobant. *vid. Henel ab Hennenfeld Ot. Vratislav. cap. 4. ubi illorum quaedam exhibet.* Imprimis etiam hic apponi meretur Imp. Frider. II. Rescriptum, verbo : *Cumq; nuper ad Audientiam nostram pervenerit, quod flumen situm in Jurisdictione tua propter inundationes aquarum sic se pro tempore protendat horribile, ut nullus hinc inde transitus volentibus obscundet : Volentes inhabitantibus Provinciam de consensu nostrorum fidelium, sed praecipue, quorum fidei suae meritis libenter commoda quaerimus, tam benigne quam salutariter providere : fidelitati tuae praecipiendo mandamus, quatenus Universitati Civitatis N. nullis Ecclesiis, Ecclesiasticis seu secularibus personis exceptis, efficaciter moneas & inducas, & si expedierit, auctoritate nostrâ compellas, ut pontes & vias omnes, quae circa pontes & districtus civitatis ipsius necessario expedit reparari, debitâ faciat reparatione fulciri.*

APHOR, XIIX.

Veteres olim consueverant in viis regiis certos lapides, sive columnas ponere, quibus tituli & nomina illorum Principum, qui vias referant, erant magnis literis insculpti, quales inscriptiones refert *Briffon. de formul. Lib. 8. pag. 728.* Sic Graeci Mercurium in biviiis aut triviiis effingere solebant, trunco habitu, & in lapidem rudem quadratum, ut signum esset & indicina viae; Et tales Lapides *Hermas* vocabant, *vid. Nicolai Tract. de Herm.* Ubi autem tales deficiebant, debebant privati lapides aliquot in eorum vicem collocare *vid. Lips. cent. 5. Epist. miscell. 5.* Imò insignia insignium virorum sepulchra non raro secundum viam publicam exstructa leguntur, ut non solum eò frequentius cujusque defuncti nomen sub memoriae incudem revocetur, sed etiam ut posteris suorum

parea-

parentum demortuorum vestigiis insisterent, *conf. M. Welfer. rer. Aug. Vind. L. 6. p. 138.* Atque tunc temporis, florente imprimis Rep. Romanâ, nullâ contributione aut collectâ opus erat, sed soli Principes atque Magnates vias publicas ex suis facultatibus restaurabant, ut hoc modo illorum liberalitas ac magnificentia posteris suis commendaretur; Ast nostrâ tempestate rarò, imò vix unquam Principem reperies, qui propriis sumtibus viæ refectionem instituere sataget. Ecquis enim mortalium, hodiernum modum collectandi non experitur? Quis vectigalium impositionem ignorat? Omnibus ferè aspera vox est tributum! Multi clamitant, terrarum Dominos accipere pecuniam, ejus rei gratiâ, ad quam ipsi ratione officii tenentur, Thom. Maul. *de Jur. Conducend. tit. 7. num. 4.* Sed quia res ista sine sumtibus exiguis perfici nequit, non magis improbanda erit vectigalis constitutio ad reficiendas securasque vias reddendas, quam improbari potest tributorum indictio & exactio ad defendendos subditos, ad quam defensionem Princeps etiam ex officio tenetur. Eleganter hinc dicit Tacit. *Histor. lib. 4. Nec quies Gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, neq; hæc sine tributis haberi queunt.* Nervos enim Reipubl. in causa tributorum consistere, nemo ibit inficias *L. 1. §. 20 ff. de Questionib. Nov. 149. c. 2.* Necverò quisquam est, qui non malit Principi in eam rem aliquid contribuere, quam sumtuosis viarum anfractibus circuitus & ambages quærere. Klock. *tom. 3. conf. 149. num. 296.* Varias hujus vectigalis species *vid. apud Mejer. in Colleg. Argent. ad tit. ff. de publican. & vectig. th. 4. Dn. Stryk. Exam. Jur. Feud. c. 9. quest. 10. ibiq; Dn. Præsid. dictat.*

APHOR. XIX.

Quia itaque utilitatis publicæ causa receptum est, ut prætereuntibus, & mercibus quæ vehuntur, securitas à cujusque territorii Domino præstetur, utque viæ publicæ complanentur ac muniantur, iniquum haud erit, si ad compensanda hæc onera, vectigal aliquod mercibus imponatur, Bachov. *ad Tr. v. 2. D. 18. th. 8. lit. B. Perez. ad Tit. Cod. de vectig. num. 1.* Hug. Grot. *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 2. §. 14. ibiq; Dn. Simon, R. (1) quia Principes & Domini terrarum, magnos sumtus pro bono publico itine-*

rantium faciunt (vel facere debent) in reficiendis & exstruendis pontibus, in viis publicis conservandis, & provinciis à prædonum & latronum incurfu salvandis, in comœatu hominum tuto ac libero reddendo in *Erhaltung Steeg und Weeg/ fregen und sichern Strassen und Fahrten Peregrin. de Jur. Fisc. L. 8. n. 9.* (2) quia viæ publicæ quotidiano usu & attritu deteriores redduntur, dubium non est, pro refectione ista, à transeuntibus pecuniolam exigi posse, add. Knipschild. *de Jur. Civitat. Imp. Lib. 2. c. 18. n. 17. cum seq.* Hoc enim naturalis æquitas non patitur, ut alicui suum officium sit damnosum *L. 7. ff. quemad testam. aper. L. 54. ff. de R. V. L. 5. §. 13 de his quæ ut indign. aufer. L. 26. Cod. de adm. tutor. L. 29. Ex quib. caus. major.* Notandum tamen, quod sicuti Nullus Princeps vel Status Imperii sine Imp. consensu vectigalia in fraudem & detrimentum ærarii publici diminuere, multominus tollere queat, cum hæc ad jus Imperii & Majestatis maximè pertineant *L. 4. pr. ff. de publican. & vectig. comm. Bodin. L. 1 de Rep. c. 10.* Sic quoque nova vectigalia instituere vel vetera augere propriâ autoritate non possit, *tot. tit. ff. & Cod. de vectig. & commiss. Pacificat. Osnabrug. art. 9. & 10. verb. alten Zollen vid. latè Dn. Carpozov ad L. Reg. c. 9. sect. 2. & seqq. Limn. ad Capit. Caroli V. art. 18.* Sed illa à Superiore impetrare debent, conqverendo multorum pontium & viarum refectionem illis incumbere, adeo ut sine institutione novi vel auctione veteris vectigalis id præstare non possint, *Brunnem. ad L. 1. C. vectig. nov. instit. non poss. Jung. Myler. de Stat. Imp. c. 64. n. 6. & 7.* Imò ne quidem Imperatori cum consensu Statuum principali hoc est, Electorum, nova vectigalia imponere licet, nisi omnes, nullo penitus dissentiente in idem placitum consenserint, *juxt. Capitulat. Leopold. art. 21. verb. Keinen Zoll &c. ubi expresse deciditur, imposterum majoribus votis locum dandum non esse, add. Bachov. ad Trentler. d. L. th. 9. L. C. Idem etiam in noviss. Josephi Reg. Roman. Capitulat. art. 16. confirmatum reperitur.* Habet tamen Potentissimus Elector Brandeb. speciale privilegium in suis territoriis & ditionibus, ut possit pro lubitu nova vectigalia instituere & vetera augere, etiam pro beneplacito molendina in fluminibus exstruere, quod ex *Limn. recenset Magnif. Dn. Rhetius Inst. Jur. Publ. L. 2. tit. 13. §. 4.* Jungatur Id. *Limn. Comment. ad Capitulat. Cæsar. Carol. V. art. 18. p. 243. Item ad Cap. Maximil. II. art. 9. p.*

493. ubi simile privilegium Archi-Ducibus Austriae confirmatum allegat.

APHOR. XX.

Quam Maximè vero Princeps sibi caveat, ne majora vectigalia imperet, quam ad viarum conservationem necessaria sunt. Nam non male sentit Molin. de *J. & Jur. Disp. 667. n. 7. cum seq.* Principem qui gravius tributum accepit, quam causa efflagitat, in conscientia ad restitutionem ejus, quod nimium est, subditis teneri, nisi aliis rebus id impendat, quarum causa justè tributa imperare posset. Periculosa tamen est assertio Johann. Azorii *Inst. mor. Lib. 5. c. 22. q. 6. statuentis*, subditum certò scientem, non impendi tributa in rem, ad quam imposita ab initio fuerunt, non teneri ea solvere in conscientia, nec peccare defraudando, nec obligari ad restitutionem; Neque vectigalia illicita per vim extorquere debet, sub pœna quadrupli *L. 9. §. 6. de Publican.* quia incidit in speciem rapinae, Bachov. *loc. alleg. th. 8. lit. C.* Illud quoque Princeps observare debet, ut magis distantes onere portandi minus graventur, quam viciniore, idque propter impensas itinerum; Sic in extruendo Castro, vicini magis gravari debent, quam remoti, quia relevantur in expensis itineris, Perez. *ad Tit. Cod. de annon. & tribut. n. 25.*

APHOR. XXI.

Cœterum omnes territoriorum Domini, qui hoc jure vectigalium gaudent, transeuntibus non solum securitatem præstare debent, *C. A. ad tit. ff. ne quid in loc. publ. th. 26. Struv. S. F. c. 6. §. 23.* Sed etiam damnum à prædonibus illatum resarcire tenentur, *arg. L. 3. ff. de Offic. Praesid. L. 44. ff. mandat. L. 2. Codic. de Administrat. Rerum Publicar. Bartol. in L. 7. ff. de Incend. ruin. & naufrag. Befold. Thesaur. Pract. voc. Landstrasse. Conf. Rosenth. de Feud. c. 5. concl. 22.* qui ait, se meminisse ita fuisse in Camera Imper. sæpius judicatum; Et hoc de consuetudine Germaniæ sic observari, ut jacturæ damnum passis à Dominis territorii resarciatur, testatur Gail. *2. Obs. 64. Lib. 2. Mynsing. Centur. 5. Obs. 70. lib. 10.* Requiritur autem à viatore, ut viam publicam atque solitam

tam sequatur; Si enim spoliatus à via Regia deflexerit & per viam incon-
 suetam profectus fuerit, wenn er einen Abweg genommen hat/ Domi-
 nus territorialis ad damnum resarciendum nullo modo compelli potest.
 Myler. *de Princip. & Statib. Imper. c. 59. n. 8.* Siquidem is, qui viæ rectæ
 non insistit, se suspectum & securitate publicâ indignum facit, Rosenth.
d. loc. concl. 22 lit. B. Marquard. *de Mercator. L. 2. c. 10. n. 15.* Et qui
 iter consuetum non servat, vectigalia defraudare velle præsumitur,
 Mascard. *de probat. Concl. 474. n. 3.* Sed *Quar.* Num Dominus territorii totû
 damnum resarcire teneatur? Quod affirmat Carpzov. *in pr. crim. p. 2.*
q. 91. n. 60. (1) Si Ille spoliatis dederit salvum conductum (2) Si depræ-
 datus usus fuerit viâ regiâ, nec ab ea declinaverit. De postremo dubium
 non est. Prius autem si extra jus constitutum consideretur, necessarium
 forte requisitum non esse puto cum Ziegl. *in Not. ad Grot. de J. B. & P.*
L. 2. cap. 17. §. 20. Klock. *de vectig. num 77.* & Fritsch. *tract. de viis publ.*
cap. 12. n. 23. Quoniam Dominus territorii ad securitatem Provinciæ
 & viarum publicarum absque pensitatione, officii necessitate tenetur,
juxt. L. 1. §. 12. ff. de Offic. Præf. urb. junct. L. 7. ff. de incend. ruin. &
nafrag. Rosenthal. *d. loc. Maul. de Jur. conduc. tit. 7. n. 5.* Multo magis
 igitur obligabitur, quando propter securitatem præstandam vectigalia à
 viatoribus exigit. Sic enim etiam inter privatos jus est, ut qui merce-
 dem accipit, pro alicujus rei custodia, is periculum hujus custodiæ præ-
 stet *L. 40. ff. locat. conduct.* Breviter: Princeps ideò obligatus est, quia
 Princeps est, & tenetur in conscientia damnum, quod avertere debebat,
 spoliatis resarcire, quamvis actione civili (præsertim à subditis) con-
 veniri aut cogi nequeat, propter defectum principii hisce in terris a-
 gentis in Superioritatem tanquam se subinde majorem, Ziegler. *de J. M.*
L. 2. cap. 13. §. 4. Frustra Diss. Henr. Bocer. *de Regalib. c. 2. n. 156.* Nisi
 fortè intelligatur de conventionione Statuum in Camera Imperiali aut co-
 ram Judicio Aulico Cæsareo.

APHOR. XXII.

Hoc adhuc addendum, quod in illis locis, in quibus vectigalia, quæ
 in hunc usum verti possunt, à viatoribus non exigantur, tunc in subdi-

ros cujusque provinciæ hoc onus redundare, atque illi omnes (tàm Lai-
ci quàm Clerici) viarum publicarum conservacionem suscipere ac pro-
movere debent. Quamvis ægrè molesteque ferant moderni Canonistæ,
quod huic muneri etiam Ecclesias subjecerit Theodosius junior *in d. L.7.*
quibus sc. hoc est infallibile principium, Personam Laicam in rebus Eccle-
siasticis nihil planè statuere posse *vid. Joh. Gutierrez. pract. quest. lib. 1. q. 3.*
Imò Raynaud. Jesuita *de coron. aur. Pontif pag. 353.* nefas esse ait : terrenæ
quantæcunque potestati rebus Ecclesiasticis manum admovere & *pag. 373.*
nefas esse, potestatem quàmque Laicam de rebus sacris Leges sancire; Sed
hujus principii crassum errorem satis luculenter ostendit Franc. Florens.
in Dissert. Jur. Canon. pag. 36. cum seqq. & Dannhauer. in Theolog. Consc.
part. 2. dialog. 3. sect. 3. q. 5. Imò contrarium docet, unicum jus, quod vo-
cant, Patronatus, privatis etiam propter foundationem vel dotationem Ec-
clesiæ ipso jure Pontificio concessum; Quod potestatem continet, unum
vel plures ad Pastorum Ecclesiæ vacantis legitimè nominandi & præsen-
tandi; Hoc autem quâ ratione, ita constitutum sit, non vacat hîc multis
disceptare, neque utrum jure, an æquitate potius Laicis competat, pro-
lixius examinare nostri est instituti. Illud obiter notandum, quod aliud
sit fidei præcepta tradere & explicare, quod hodiè regulariter fit per sa-
cerdotes ordinatos & legitimè constitutos. Aliud est tradita custodire;
Posterius regulariter fit per Principem. Sic etiam Jcti est Rempubl. delibe-
rando & ferendo legem stabilire. Magistratus verò secundum hæc duo
præsupposita casum decidere. Rectè igitur Grot. *de Jur. Summ. potest.*
circ. sacr. c. 4. n. 6. & seqq. suo modo Principes Rectores, Præsides & Duces
gregis, quod fidem & mores religione Christianâ dignos attinet, nomina-
vit. Nam Jurisdictio Ecclesiastica, quam quilibet Episcopus Catholicus
in sua Diocesi exercet, in Statuum ac Principum territoriis suspensa est,
altoque somno composita quiescit, Myler. *de Statib. Imp. cap. 87. n. 1.* Struv.
S. F. c. 6. §. 15. cum seqq. Carpz. *Ipr. Consist. tit. 1. def. 1. & seqq.* Reinking. 3. cl.
1. cap. 10. Instrum. Pac. Osnabrug. art. 5. §. 16. junct. §. damit auch 20. seqq.
Ex quibus luce meridianâ clariùs elucescit, Status & illustres Imperii Ar-
chontes Augustanæ confessioni addictos, neque Judicem in terris, neque
Camerale, neque Aulicum Judicium agnoscere, Dn. Simon *in Colleg. Privat.*
ad Struv. Syntag. jur. Feud. c. 3. §. 7. add. Schweder. Introd. in Jus publ.

D

Imp.

Imp. Rom. Germ. part. spec. sect. 2. cap. 17. §. 23. Nisi fortè loco Judicium formati agnoscere velis, quod aliquando laudati Status Augustani suis respectivè Theologis & Consiliariis Justitiæ Juramentum fidelitatis præstitum (vulgò *Dienstpflicht*) remittere soleant, sicque Eisdem ad incidentem aliquem casum conscientiaè habilitare; prouti iterum atque sæpiùs hunc modum procedendi observatum fuisse experientia attestatur.

APHOR. XXIII.

Hactenus quidem diximus, omnes Personas, tam Ecclesiasticas quam Seculares ad viarum refectionem esse adstrictas; quoad illas tamen notandum, quod tum teneantur, si habuerint possessiones aut prædia, sub illa civitate in qua tale fit opus, ut ait Imp. Justinianus *Nov. 131. cap. 5.* Viarum enim instructiones non personarum, sed locorum munera sunt, *L. 14. §. 2. ff. de munerib. & honor.* Sic in vectigalibus ipsa prædia non personæ conveniuntur, *L. 7. ff. de Publican. & vectig.* hæc quippe onera sunt prædiorum non personarum, *L. 13. ff. de impens. in res dot. fact.* quæ personis non pro rebus imponuntur, sed rebus principaliter & à possessoribus exiguntur, & illa olim munera possessionum vocabantur *L. 6. §. 5. ff. de muner. & honor. junct. L. 18. §. 25. ff. eod.* Hinc assentiri nequeo Gail. qui *lib. 2. Obs. 52. num. 14. & seqq.* putat, Clericos non esse adstrictos ad solvendas Collectas viarum, nisi resectio etiam in possessionum ipsarum utilitatem vergat; Et agrorum possessores ad munitionem viæ tum demùm teneri, si per eam ad agros eatur, i. e. quando agri viis contigui sunt. Verùm hæc limitationes infirmo stant talo. (1.) enim omnes homines, tam Ecclesiastici quam Seculares securitate publicâ fruuntur; hinc etiam ad eam conservandam, quilibet suum, pro possibili contribuere obstrictus est, quamvis non statim eadem ad sua mercimonia privata exercenda opus habeat, *Add. Dn. Struv. S. 7. C. Exerc. ult. th. 80.* (2.) Nullus cujuscunque licet gradus vel ordinis esset, ab hoc onere unquam liberatus fuit; sed poena negligentia in ipsos dominos, commissi aut commissionis in auctores fuit statuta, *L. 2. & 3. Cod. Theod. de Itiner. muniend. ibique Gothofred.* Atque sic ad vias extra oppida muniendas non solum prædia contigua viæ, sed etiam totum ter-

rito-

ritorium suam quoram conferre oportebat, Molin. *ad L. 7. C. de SS. Eccles.*
 Nam via benè munita in totius Provinciae commodum cedit, cuius partem
 privati cujusque possessiones constituunt, Ziegler. *de J. M. L. 2. c. 17. §. 27.*
 Adde, quod salus publica suprema Lex sit, *L. unic. §. 14. C. de Caduc. tol-*
lend. Indè Canon moralis & politicus: *Multa quis injustè patitur ut ho-*
mo, quæ tamen non injusta sunt si patiantur ut Civis; Interim tamen perso-
 nis Ecclesiasticis præter necessitatem, hoc onus non est injungendum,
 cum earum plurimæ huic muneri non sint propter exigua salaria aptæ fe-
 rendo, Brunnem: *ad d. L. 7.*

APHOR. XXIV.

Præter Personas Ecclesiasticas, immunitate etiam gaudent personæ
 Seculares; inter quas primi sunt illi, qui in aliqua Republ. Imperii habe-
 nas moderantur; Et horum palatium nostris moribus, optimo jure, ab
 omnibus muneribus immune & liberum est; Quoniam Principi propter
 boni publici curam, quam gerit, & propter securitatem, quam præstare
 tenetur, uno quasi Gentium consensu, ab ipso bono publico hoc debetur,
 ut omnibus immunitatibus atque exemptionibus gaudeat, quibus quisquam
 alius in Rep. exornari possit. Cumque Ipse aliis immunitatem largiatur,
 absurdum foret, Ipsum non eminenter præ subditis suis immunem esse;
 Quando tamen Princeps prædia alia jure privato possidet, præprimis talia,
 quæ tributaria semper fuerunt, Ipse quidem, ut onera eorum ferat, cogi
 nequit, ut tamen subeat spontè ex rectæ rationis dictamine edoceri potest.
 Sic Arcadius & Honorius rem privatam suam prompti impenderunt, atque
 levandorum provincialium causâ, canonicas necessitates lubentes subie-
 runt, *vid. L. 2. C. de Privileg. Dom. August. add. L. 4. L. 8. C. de Exactor.*
tributor.

APHOR. XXV.

Principibus proximi sunt Consilarii & Proceres Imperii, qui jure
 immunitatis ex singulari lege, vel consuetudine fruuntur, *L. 7. C. de Ex-*
cusat. muner. quia Illi quoque curam publicæ salutis sustinent, inextricabi-

les soepenunerò rerum necessitates experiuntur, & inevitabilia fastidia patiuntur, Sic in Regno Galliaë Præsides & Consilarii Supremarum curiarum, Adjuvæ itidem ratiociniorum, Secretarii & Notarii Regis, à Gabelis & Vectigalibus immunes sunt, referente Paponio *Lib. 5. Tit. 11. arrest. 12. & seq.* Idem constitutum esse in Hispaniaë territoriis, tradit Perez. *in Cod. ad Tit. de vectig. n. 4.* Quoad patrimonialia verò eorum bona à contributione collectarum non sunt exempti, *L. 18. §. 24. ff. de muner. & honor.* Nonnullis in locis Nobiles etiam à viarum contributionibus per consuetudinem sunt immunes; Imò sunt quidam, qui eos exemplo militum, *Lege immunes esse pronuntiant, quos inter est Antesignanus Petr. Greg. Tholosan. Syntag. L. 3. c. 8. n. 5.* quod tamen vix admitti potest, nisi eo casu, quando actu militent, & in Dominorum suorum castris bellicis subsistunt. Cùm enim Nobilium bona vel sint allodialia vel feudalia, quoad illa nulla eis regulariter competit exemptio, sed perindè Illi, ut alii subditi onera patrimonialia ferre debent; Quamvis hodiè communiter contrarium obtineat, *Casp. Klock. de Contribut. Cap. 14. sect. 1. n. 47. cum seqq.* ubi docet, Nobiles à muneribus patrimonialibus ratione feudorum, quippe ob quæ solum præstari solent servitia, *Struv. S. F. Cap. XI. Aphor. IV. & seqq.* exemptos esse, add. *Carpz. 4. Resp. Elect. 71. & 76. Rosenth. de Feud. cap. 5. concl. 78. num. 14. Quer.* autem, An vasallus propter obligationem ad servitia obstrictus sit jussu Domini defendere, custodire & reficere viam publicam *die Strasse zubereiten?* *Neg. Struv. S. F. d. Cap. XI. aphor. V. n. 13.* Quia hoc officium pertinet ad subditos, qualis vasallus, quatenus talis, non est, *2. Feud. s. ibiq. Matth. de Afflict. Carpzov. Lib. 4. resp. 70 n. 24.* Neque enim Vasallus plura onera ferre tenetur, quam ab initio in Contractu feudali conventum fuit, *L. 34. ff. de R. J. Knich. de vestit. pact. p. 2. c. 5. n. 6. Kohl. de Servit. feud. p. 4. n. 98. Mev. p. 4. D. 33.* cum natura feudalis non patiat, ut præter servitia feudalia inter contrahentes, mutuo consensu confirmata, alia nova onera Dominus vasallo invito injungat, *Rosenth. de Feud. d. loc. Add. Schültz. Synops. Feud. cap. 10. n. 32.* ubi hanc sententiam præjudicio Facult. Wittenberg confirmat.

APHOR. XXVI.

Sed quid dicendum de usufructuario, an ille eodem jure gaudet? Videri posset quod non, quia istiusmodi onera ab eo ferenda sunt, per

L. 27.

L. 27. §. 3. ff. de usufr. Tenetur omnem rei curam suscipere *L. 1. in fin. quem. usufr. cau. rem sc. custodiendo, L. 2. eod. tit. eamque sartam & te-ctam conservando, L. 7. §. 2. 3. L. 64. ff. de usufr. L. 7. C. eod.* Verum hæ LL. sunt accipiendæ de refectione modica, sive impensis modicis in conservationem rei factis, Dn. Struv. *Exerc. ad ff. 12. th. 23.* Quando igitur via publica ita destructa est, ut ea sine magnis sumptibus restaurari non possit, usufructuarius eam solus reficere haud tenetur, sed proprietarius ad solutionem ejus, quod usumfructum excedit, tenebitur, *arg. L. 7. §. 2. L. 30. §. 1. de Legat. 3.* Perez *in Cod. de Indict. n. 28.* Tabor. *de metat. part. 2. c. 3. n. 22.* Carpz. *Lib. 1. Resp. 105. n. 12.* Et si usufructuarius, magnos sumtus & ad perpetuam proprietatis existentiam necessarios seu utiles fecit, illos retentione, vel actione negotiorum gestorum repetere potest, *L. 7. §. 2. ff. de usufr.* Quinam autem sint magni sumtus, in arbitrio Judicis consistit, Brunnem. *ad L. 7. C. de usufr.* Illud tanquam singulare hic notandum, quod pater usufructuarius ad magnas impensas teneatur, nec eas repetere possit, Idem *ad L. fin. §. 3. C. de bon. quæ liber.*

APHOR. XXVII.

De Creditore Qvar. qui jure antichretico pignus possidet, num is impensas viarum solvere debeat, an debitor proprietarius? Affirm. poster. Licet enim hæ impensæ à creditore quidem exigi possint, neque fiscus teneatur debitorem proprietarium convenire; Interea tamen Creditori contra hunc suus regressus salvus manere debet, *vid. latè Ægid. Thomat. de Collect. §. pauperes n. 37.* In summa enim debiti, computatur etiam id, quod propter possessiones pignori datas ad collationem Viarum muniendarum, vel quodlibet aliud necessarium obsequium præstitisse Creditorem constiterit *L. 6. C. de Pignorib.* Atque sic in effectu debitor sumtus Viarum præstare tenetur; Nam is propriè solvere dicitur, qui ex solutione patrimonii sui deminutionem sentit. Conductor quoque suis sumptibus viam regiam reparare non est obstrictus, sed hoc onus potius ad Locatorem spectat tanquam possessorem & dominum prædii; Cum enim conductor non possideat, sed tantum in possessione sit & rem detineat *L. 9. ff. de R. V. L. 3. §. 12. L. 9. ff. de acquir. vel amitt. possess. L. 1. C.*

COMM.

comm. de usuc. L. 4. Cod. de Agric. Confit. & colon. Lib. XI. iniquum esset ipsi hoc onus injungere, *arg. L. 206. ff. de R. J.* quoniam tributa is solvere tenetur, qui possessiones habet & fructus percipit, *L. 2. Cod. de annon. & tribut. Lib. X.* Et si conductor pensionem jam solvit, rem locatam retinere potest, *arg. L. 5. vers. manebit. ff. de impens. in res dotat. fact. L. 14. ff. de dol. mal. & met. except. L. 20. ff. de acquir. vel amitt. possess. vel si nondum solvit, tantum, quantum sibi debetur, deducere potest, Coler. in process. executiv. c. 1. num. 240. cum seqq.* Quamvis autem conductor inter impensas non possit reputare ea, quæ per glebæ addictos facta aut facienda sunt, *Mev. p. 2. Dec. 85.* Interea tamen ob servitia, quæ pro munienda via & vallo für Schanzen- und Wall-Arbeit præstitit, deductio à mercede fieri potest, *Mev. p. 8. Dec. 31.* De meliorationibus & earum æstimatione *vid. Sand. L. 3. tit. 6. def. 8.* ubi habet, si meliorationes superent impensas à conductore factas, v. g. si vinea, quam posuit, pluris æstimanda, quam impensæ, non præsens æstimatio consideretur, sed quantum impensum, per *Leg. 61. ff. Locat. cond. junct. L. 55. §. 1. eod. tit.* Eas verò impensas, quas ex lege conductionis facere debebat, non potest repetere, *Sand. d. loc. def. 11.* Sic sumtus exiguos & quibus ipse conductor causam præbuit, (veluti si fenestras, vel fornaces refici curavit) sibi imputare debet, *Bachov. ad Trentler. V. 1. Disp. 29. th. 7. L. G.*

APHOR. XXIIX.

Denique modidantur varii subditos non exemptos atque contumaces ad hoc munus compellendi, quorum tamen catalogum nectere non est animus. Olim Exactores solebant debitores Fisci in carcerem compingere, tormentis excruciare, vel gravi onere eos afficere, ut hæc ratione ad solutionem tributorum adigerentur, quod autem Imperator in *L. 2. C. de Exactor. tribut.* serverè prohibuit & constituit, ut morosi debitores quidem capi possent, sed sub custodia libera militari haberi debeant; quod si autem porrò in obdurata contumacia permanserint, ipsorum bona esse distrahenda, non verò in corpora eorum sciendum, *conf. Bachov. ad Trentl. V. 2. D. 24. th. 4. lit. C.* Moribus tamen nostris hæc paulo immutata sunt; Nam *Hodie* aliquem ob fiscale debitum vinculis mancipari posse, tradit *Carpz. L. 4. Resp. 78. n. 5.* Est quoque valde usitatus modus, fit per manum militarem, mediante quo subditi pertinaces ad viarum reparationes cogi possunt, qui & olim aliquandò ab Imperatorib. approbatus

tus

tus legitur, *L. 1. C. de offic. praefect. August.* Potest etiam Princeps sub multa pecuniaria subditis viarum refectionem injungere, & si tum contumaciam auxerint, non operas solum, sed etiam multam indictam praestare tenentur, *Klock. de Contribut. cap. 18. n. 73.* Similiter eorum equos, qui nummos pro munitione Viarum vel pontium debitos non solvunt, posse arrestari, probat *Gerh. Feltman. in tractat. de Inclusion. animal cap. 23. §. 7. arg. L. 8. pr. L. 16. §. 3. ff. de Public. & vectig.* Imò illorum quoque equi recte sistuntur, qui non viâ Regiâ, sed eâ, quam Princeps sibi servavit, eunt, quia ex assidua istius frequentatione deterioratur, *Fritsch. tract. de Viis publ. cap. 8. n. 16.* Et hoc usu servari testatur *Feltman. d. loc. §. 6.* ubi asserit, se vidisse in territorio Essendiensi hoc factum fuisse. Quando igitur tributariae functionis munus evidens ac convictum est, Processus de plano & levato (quod ajunt) velo est finiendus, eumque ab executione inchoari posse comm. *Dd. Schola* probat; Adeo ut citatio omitti, & si sententia pronuntiata, aut decretum interpositum fuerit, appellatio rejici queat, *L. 4. L. fin. C. quor. appellat. non. recip.* Plures modos hîc non addam, sed digitum in eos intendisse contentus ero. Cum enim in hac materia mores regionis varient, consuetudinem cujusvis loci in reparandis viis praeripimus respiciendam esse, rectè monet *Betrand. cons. 41. n. 26. vol. 4.* Atque ita tandem, divinâ adspirante Clementiâ pro ratione instituti theses, non ad integrum tractatum quendam similemve Discursum prolixiorem (quem praeter *Fritschium* elaborarunt plures alii denso agmine citati à *Bechtoldo in Syllog. mater. Juridic. Lit. Via*) sed saltim ad Exercitium aliquod disputatoriû destinatas absolvi, quas B. L. censurae tuae, sive æquas sive iniquas fueris, submittere nullus dubito. Siqua erravi, meliora monentè sequi non recusô; aut si quaedam ob angustos temporis cancellos à me praetermissa sunt, eadem, ut pro candore tuo aliundè (v. g. ex *Bechtold. de Secur. & Salv. conduct. cap. 3. th. 60. & seqq.* *Henr. Bruning. de var. spec. universitat. th. 24.* *Mindan. de mandat. Lib. 2. c. 36.* *Gilhaus. Arb. Jud. Civil. cap. 3. num. 144.* *Besold. Thesaur. Pract. verb. Weg & Landstrasz* ibique plur. citat. *Dd.*) Supplere digneris, per quam officiosè rogo atq; contendo. Interim pro exantlato

hoc labore nuncupo

SOLI ET TRINUNI DEO GLORIAM.

DECAS COROLLARIORUM.

1. Cum Via Publica hodiè ad Regalia pertineat, non amplius omnibus patet, nisi quibus concedere velit Superioritas Territorialis.
2. Judæi Viæ publicæ securitate etiam gaudent.
3. Venationem sine Subditorum injuria Principes sibi fecerunt propriam.
4. In Tutela Electorali locus esse potest testamentariæ.
5. Fœminæ in Codicillis testes esse possunt.
6. Venditor si facultatem rei tradendæ habet, præcisè ad traditionem cogi potest.
7. Parentum & fratrum legitimam Jure Novellar. etiam auctam esse, cum comm. Dd. Schola Affirm.
8. Jure Naturæ Parentum consensus in contrahendis nuptiis requiritur.
9. Dominium non ab occupatione aut divisione Gentium, sed à liberali DEI donatione ortum est.
10. Thesaurus in fundo feudali inventus, pertinet ad Vasallum.





Leipzig, Diss., 1691
X 237 3099

VD17







17

P. 140.

Pub. 12. num. 11. *Pu. 2. 46.* 12

DISSERTATIO JURIDICA
DE
CONSERVATIONE
VIAE PUBLICAE,

Quam
Suffragante Jehovâ
Et

Illustris Jctorum Ordinis indultu

In Alma Philurea
P R Æ S I D E

DOMINO BARTHOLOMÆO
LEONH. SCHWENDENDÖRFFERO,
Jcto, Antecessore Famigeratissimo, Canoni-
co Martisburgensi, Curia Electoralis Supremæ &
Facultatis Juridicæ Assessore Gravissimo, nec non Decem-
Viro Spectatissimo &c.

*Dn. Patrono ac Praeceptore suo plurimum devene-
rando,*

Publico Eruditorum Examine proponit

AUCTOR
GERHARD. FRIDERICUS JACOBI,

Sufato-Westphal.

Ad d. 22. April. A. O. R. M. DC. XCI

In Auditorio Jctorum.

L I P S I Æ,

Typis CHRISTOPH. BALTH. LAMBE

